



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 17. Classis contra Lusitanos instructa; ejus victoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A C. 1508.

§. XVII.

*Classis contra Lusitanos instructa;
ejus victoria.*

Ergo Sueffæ, quæ urbs est nonnisi trium dierum itinere a Cairo diffita, classem instrui, omnique armorum apparatu muniri jubet. Numerabat illa sex triremes, unum amplius navigium, quod *Gaulum* vocant, & quatuor majores naves onerarias, quibus Sultanus octingentos Christianæ fidei desertores imponebat, atque expeditionis curam cuidam nomine Mirocemo, natione Persæ, Belliduci dexteritate, ac belli experientia clarissimo demandabat. Hic velis factis ex Sueffano portu solvens, mare rubrum feliciter trajecit, lectisque Arabiæ oris, ac superato Sinu Persico in Cambayæ regnum appulsus, demum jactis anchoris in Insula & portu Diensi hæsit, qui tum Orientis totius emporium erat opulentia longe celeberrimum. Mittebatur illuc Laurentius Almeida Indiarum Pro-Regis Filius, ut ripas tueretur, & Lusitanorum naves, quæ in Lusitaniam reversuræ, ex Cochinchensi portu mercibus amplissimis onustæ solverant, comitaretur, cum autem Almeida Ciaulensem portum ingrederetur, nuncium accepit, adventasse Ægypti Sultani classem, eam-

*Ofor. lib. 4.
E 6.
Masso lib. 4.
Marian. lib. 29. c. 16. E 22
Raynald. ib.
Bosius p. 2.
l. 17.*

Sæcul. XVI. que a Diensi Governatore triginta qua-
A.C. 1508. tuor liburnicis auctam fuisse.

Jamque in conspectu utraque classis erat, sed prima die non nisi eminus tormentis prolusum adeo, ut major esset tormentorum sonitus, quam dimicantium cædes: Postera autem die Almeida virium suarum fiducia animatus injecto unco ferreo retentam Mirocemi navem, quæ prætorix vexillum explicabat, abducere tentavit. Ast non modo audax consilium eventus fefellit, sed ipse etiam Almeida duabus sagittis temere excussis graviter vulnerabatur, & quam plurimi qua Nautæ, qua milites ex vulnere ad prælium inhabiles fiebant. Nihilominus altera die pugna restaurabatur, & Diensis Governator, qui postremo hostilis exercitus agmini præerat, semperque in alto mari hærebat, cum navibus suis portum oppidi Ciauli ingrediebatur, eo adventante Lusitani, quamquam navium, militumque numero hostibus suis longe inferiores essent, non minori animo quam consilio de portu egredi, ac per mediam Sultani classem erumpere statuunt, ut tandem in altum elabi possent.